OSSVNIANA CONIVRATIO

Qua

D. PETRVS GYRON OSSVNÆ DVX Regnum Neapolitanum (irrito tamen euentu) ſibi deſponderat.

VNA CVM RELATIONE Stratagematis, quo Illuſtriſs. Cardinalis Borgia, deſignatus Duci ſucceſſor, in eam Prouinciam ſibi aditum & ſucceſſionem fecerit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Anno M DC XXIII.

Ari Gira.

OSSVNIANA
CONIVRATIO.

NAtus homo, atque à Natura à Deo ipſo inſtitutus ad dominandum, ægrè admodum cohiberi poteſt, quominus vbi iura non ſuppetunt, contra fas dominari contendat, & prout ingentem quiſquam, ferocemque animum cum opibus, & claritudine generis coniunctum præſefert, vix temperare ſe valet, vt priuatus eſſe velit. Quod enim imperium in bruta dumtaxat animantia ab ipſo rerum Principe traditum mortales obtinent, hoc ipſo vti ſibi licere in cæteros quoque homines opinantur, eoq; omnia ſtudia ſua conferunt, vt plurimos premant. Quod quia minus; vt plurimum, ſeu Natura temporum, ſeu alia quapiam intercedente difficultate ex voto procedit, vmbram ſaltem; atque imaginem dominationis quæſitis in ſpeciem titulis aucupantur, & per inimenta principatus futili ſibi ambitione blandiuntur. Cæterùm nulla vis dominationis penes complures; atque agros nonnulli, ſolidam viuendi materiam, venundant, vt titulos comparēt. Quam

Natura humana Dominationis & præeminentiæ appetens.

Vmbram etiam dominationis aucupãtur homines.

quidem rem grauiſſimum, idque maximi dedecoris incommodum ſequitur, nam ſi quis mercaturam fecit, & vili quæſtu magnam vim pecuniæ conflauit, ſi ſtratorem, aut etiam lictorem ſe tulit, & carceres expilauit, venali huiuſmodi ſplendore in obſcuram, & ſordidam domum illato, in tantam continuò arrogantiam adducitur, vt familijs illuſtribus illudere ſibi licitum arbitretur, & quæ parta ope virtutum nobilitate pluribus ſeculis floruerunt, litterariaque aut militari vetere gloria claruerunt, nouus, atque indecorus homo ſanè turpiter antecellat. Ex quo fit, vt quæſita pretio eiuſmodi nomina, tanquam inania, & exauctorata, viris ſapientibus contemptui ſint.

Hominũ viliorũ arrogantia.

Ante hæc tempora, quicumque in hiſtorijs perluſtrandis, vel mediocriter verſatus reminiſci poteſt, quàm facilè multi libertatem populorum inuaderent, ac dominatum ſibi adſcirent. Nulla ferè in Italia Ciuitas ab hac peſte immunis fuit, in ipſa præſertim Eccleſiæ ditione, donec vnius Tyranni libidine omnes reliqui abſumpti ſunt. Sapientia deinde, ac fortitudine Summorum Pontificum res ad præſentem ſtatum deducta eſt. Quamquam tamen aditus nouis rebus agitandis magnis obicibus ſit interclufus, nihilomiminus inſitam dominandi cupiditatem plerique non abiecerunt, & nouiſſima promere exempla non dubitarunt.

Pretio qſita nomina apud ſapiẽtes cõtempti habentur.

Italię quies à Summorum Pontificum ſapientia, & fortitudine.

Quintus

Quintus iam annus agebatur, cum Petrus ex igni Gyronum familia in Hiſpania natus Dux Tunæ Regnum Neapolitanum pro Hiſpaniarũ ege Philippo III. adminiſtrabat. Ille impoten- animi vir primam iuuentam adeò per ſocordiã, luxum tranſegit, vt ei fuerit Curator à Rege tus, deinde militiæ apud Belgas operam dedit, ariſſimis demùm neceſſitudinibus, affinitatibuſ- ue in aula nixus Siciliæ Præturam adeptus eſt. i ingenio ferox, & nihil conſtare præter ſuum onſilium ratus, ſibi leges, non ſe legibus obſequi ſſit, plurimis odio habitus, nemini clarus. Ip- m etiam Filibertum Caroli Emanuelis Allobro- um Ducis filium, Regis ipſius ex Sorore Nepo- em, Regiæ claſſi imperantem, excitatis pro re na- de facultate iurium controuerſijs, offenſa laceſ- ere non dubitauit. Poſtquam Inſulam exceſſit, Neapolim cum eodem imperio migrauit. Nea- olim Cumani Ciues ab exordio poſuere. In agro ampano ſita eſt; vbertate ſoli, atque amænitate taliæ Princeps. Vbi plures Prouinciæ in vlterio- re Italia ſub vno Rege coiere, hoc Regni caput: Regnum ab infero Mari ad ſuperum ampliſsimè pertinet. Normanni, Galliq; magnis opibus par- tum diutius tenuere. Hiſpani nunc demum. Ro- mano Pontifici directo Domino tributi nomine Palafridum ingenti pompa, & certam pecuniæ ſummam perſoluunt. Sicilia Inſula eiuſdem iuris:

Dux Oſſunæ Prorex Neapolitanus p Philippo III.

Mores & ngenium Ducis Oſſunæ.

Neapolis à quibus cõdita & quo loco ſita.

Hiſpani ob regna Neapolitanũ & Sicilianum Sũmis Pontificibus annuum tributum pẽdunt.

fuiſſe

fuiſſe quondam etiam eiuſdem ſoli, fretumque illam impetu facto à continente diſieciſſe vetuſtatis opinio eſt. Reges ipſi iuſtiſſimi, mitiſſimi, piiſſimi; Natio pleriſque inuiſa, ſeu ex innata genti ſuperbia, nec non auaritia, & libidine Magiſtratuum, ſeu quia dominatio inuidiam conſortem habet, neque Itali homines, qui externa imperia diù ſine tædio ferre non poſſunt, Hiſpanorum fortunæ obſequi, longâ quamuis adſuetudine, didicere. Cæterùm re complures, reliqui in ſpeciem ſaltem iuſtitiam, & religionem præſeferunt.

Siciliá Italiæ annexam maris impetu auulſam tradunt Scriptores.

Nationis Hiſpanicæ paraphraſis.

Hùc aduectus Dux Oſſunæ nihilo ſedatiorem animum ferens, ſed vbique ſimilis ſui, breui in ſe, cùm Prouincialium, tùm exterorum inuidiam, & ſatietatem conciuit; nam Præturæ cùm ſanè immodice, ac violenter exercuit, & graſſante inclementia, & rapacitate Magiſtratuum ab ipſo datorum, Populos ad inopiam redegit. Eo regnum Neapolitanum adminiſtrante varia, plerumque neceſſitas egit, vt auxiliares copiæ nunc in Belgium, nunc in Inſubriam, nunc in Germaniam demùm regio iuſſu ſubmitterentur. Hoc titulo ingentes pecuniæ conflatę. Hoſpitia prætereà per oppida, non militibus diſtributa, ſed diſtributi milites per Hoſpitia, & priuatorum domos vnà cum accolis indigno conuictu. Itaque rapinis, ſtupris, cædibus omnia polluta. In ipſa

Ducis Oſſunæ, in regnũ Neapolitanum appulſi, facinora.

ſa quoque Ciuitate imperante inſeſſæ armatis vię, excubiæque, tamquam in bello magno cum terrore, ac dolore Ciuium agitabantur, & plura id genus inſueti moris. Quos Prorex opulentos, atque auro affluentes comperiebat, horum opibus inhiabat. Si proceſſurum ſperaret, blanditiis aggredi, mutuam pecuniarum ſummam rogare, à pleriſque, quibus artes Ducis nondum patebant, quandoque impetrare: Sin minus, inſidiis appetere, ſubiicereque, qui criminum inſimulatos facerent reos, neque niſi grandi ære mulctatos inſontes dimittere. Hæc ab inimicis Ducis ad calumniam conficta facilè credidiſſem, niſi Sanctæ Agathæ Marchionis exemplum, qui abſceſſu, & latebra cum tentatus fuiſſet, periculo ſe ſubtraxit, fidem reliquis aſſeruiſſet. Cum Venetis inimicitias ſuſcepit: etenim cum Vſcocos (ita gentem Iſtriæ montibus inſidentem vulgò appellant) qui pyraticam exercere, atque oram ſuperi Maris infeſtam habere ferebantur, arma Veneta perſequerentur; ac demùm cum Ferdinando, qui nunc Cæſar, pro turbata prouinciæ poſſeſſione res eſſet, ipſe quæſita cauſa, tamquam pro Ferdinando niteretur, cum apertis opibus Rempublicam petiuit, tum inſidiis tentaſſe conuictus eſt, nec leui ſanè in periculo Ciuitas fuit. Neapoli acres iam pridem inter populum, optimateſque de adminiſtranda Ciuitate diſſenſiones ortæ fuerant.

Vetſipellis Ducis animus.

Marchio S. Agathæ īſidias Ducis euadit.

Cũ Venetis inimicitias colit Dux Oſſunæ, idque propter Vſcocos, & Ferdinandum nunc Cęſarem.

Qui ſint Vſcochi.

Dux Oſſunæ inſidijs Venetos adoritur.

Seditio Neapolis. Altercatio Nobilitatẽ inter & populum, authore Oſſunę Duce.

Has

Has prꝯſertim Dux Oſſunæ fouendas, nutriendaſque incredibili ſtudio ſuſcepit, Populo præſens, ab Optimatibus alienus; Opus propterea in tantam deſperationem adduxit, vt præter admodum paucos, ſuos quiſque in pagos, feudaleſque ditiones ſe ſe receperit, atque à regia Vrbe abdicatus vltro exulauerit. Cum enim ſeu amænitate ſoli, atque opulentia Regni captus, ſeu dulcedine dominationis pellectus ibi diutius eſſe auidiùs appeteret, nil magis in rem ſuam ratus eſt, quàm vt diſtracti diſſidio Ciues fluctuarent, & ſine periculo nouarum rerum nequaquam ipſe abeſſe poſſe crederetur. Tantis adacti incommodis Neapolitani, tum litteras, tum Optimum Virum Laurentium Brunduſinum ex Cappuciniana familia in Hiſpaniam clanculum ſubmiſerunt, qui ad Regem perferret quo in ſtatu res ſe haberent, oraretque pro innata clementia, ne ſubditos deſtitueret, at ſimul ac Dux Oſſunæ præſtitutum Triennium ſuæ poteſtatis abſoluiſſet, miſſo ſucceſſore, rationis, iuſtitiæque compote grauiſſimo, iugo leuato, è tantis calamitatibus vindicaret. Id mereri ipſorum erga Principem fidem; id eſſe perneceſſarium, ne ſeditio, quæ ſtatum regni conuelleret, oriretur. Quo explorato conatu Dux Oſſunæ Laurentij profectionem intercepiſſet, niſi huiuſmodi incommodo Summus Pontifex occurriſſet. Abijt ille, orauit, exorauit, fidem neutiquam reperit. Morbo tandem

Cauſa cur Oſſunæ Dux in Neapolitano regno diſſentiones aluerit.

Laurētius Brunduſinus Capuccinus, regni Neapolitani, ad deprecandū Ducis Oſſunę imperium, in Hiſpanijs legatus.

Dux Oſſunę Laurentij iter euertere conatur, quod tamē Pontifex promouet, idē Laurētius moritur & eius, ante mortē, ad regem obteſtatio.

tandem extinctus eſt, in ipſoque mortis articulo Regi per nuntios obteſtatus, ſe verè retuliſſe, maximo in periculo Neapolim eſſe, neque Regem à ſcelere immunem fore, Regem permonuit. Ea igitur cùm ſæpius enixè Neapolitani poſtulaſſent, enixiùs tendem petere inſtituerunt Ioanne Franciſco Spinello clariſſimis orto Natalibus, atque acri prudentia prædito in aulam cum expeditis mandatis dimiſſo. Ex aduerſo ipſe quoque Dux Oſſunæ pro viribus per epiſtolas, per neceſſarios ſuam cauſam apud Regem agere inſtituit, delatiſque fidem demere, & calumnias in aduerſarios quàm maximas congerere nitebatur. Illudque in primis curabat ſedulò, ne ſibi Magiſtratus auctoritas abrogaretur, quod vt commodiùs impetraret, poſtulauit, vt in Hiſpaniam tantisper proficiſci ſibi liceret ad imperium poſtmodùm reuerſurus. Rex Principum Cõſilio adhibito, quicquid foret, in re tanta plurimum ponderis habere debere ſuſpicionem, ratus, nequaquam cunctandum cenſuit, & quò maturiùs ſubueniretur, Gaſparem Borgiam Cardinalem Roma tamquàm è proximo Neapolim cum imperio mittendum decreuit. Borgiæ genus in Hiſpania clarum ſuper antiquitatem, opeſque Calliſtus III. atque Alexander VI. Rom. Pontifices illuſtrauerant. Ipſe ad Cardinalatum euectus pietatis, iuſtitiæq; rarum in aula ſpecimen dedit, & paulò ante Regis Ora-

Ioan. Franciſcus Spinellus alter Regni Neapolitani, ì Hiſpanias legatus.

Conatus Ducis Oſſunæ contra legatos Neapolitanorum.

Gaſpar Borgia Cardinalis Oſſunæ Duci cum imperio ſufficitur; Borgia gens qualis; quales ex ea Pontifices.

Laus Cardinalis Borgiæ.

B tore

tore digreſſo, donec ſucceſſor deſtinatus aduentaret, Regijs negotijs præfectus apud Pontificem pro Oratore ſe geſſerat. Rei nuntium ſub exitum anni 1619. Romam Neapolimque allatum, vt Optimates erexit, ſic Ducem perculit: nec multò

Cardinalis Borgia ad ſuſcipiendam regni Neapolitani adminiſtrationē ſe accingit

poſt Regiæ litteræ ad Cardinalem ſuperuenere cum mandatis, vt primo quoque tempore ad capeſcenda illius adminiſtrationis primordia progrederetur; Regnique periculoſis vlceribus mederetur. Exarſit Dux mirum in modum, atque ingente dolore agitatus omnem aleam experiri, ne

Ducis Oſſunç ad Regem litteræ, quibus ſibi imperium prorogari perſuadet.

ſpoliaretur imperio, ſibi propoſuit. Itaque nulla interiecta mora expeditas magnis itineribus litteras in Hiſpaniam miſit ad Regem, Regioſq; Conſiliarios, quibus admonebat nequaquam ex ſua ſententia Regi conducere in eo Ciuitatis ſtatu, cum maxima imminerent pericula, Proregis mutationem fieri: à mari præterea, ſuſpicione Turcicæ claſſis, impendere calamitates: è Chriſtianis quoque Principibus pleroſque animo eſſe alieno: non eam in tantis difficultatibus eſſe Prouinciam, quæ Sacerdoti pacatiſſimo animo prædito, quieti aſſueto, Reique publicæ adminiſtrandæ parum experto committi debeat. Viderent de Cardinalibus, qui cum ab Sede Apoſtolica, quæ in Regnum ſibi Neapolitanum ius adſciſcit, neceſſitate officii pendeant; populis, qui odio præſentium vnam Eccleſiam intuentur, maximam no-

uanda-

tandarum rerum occaſionem præbere poſſunt. Ea ſe pro fide, atque officio examinanda ſuppeditare, quæ tutam dominationem præſtare valeant. Borgiæ verò, qui eũ de tota re certiorem fecerat, ita reſcripſit, vt hominem diſtineret; promptum ſe, paratumque loco cedere, ſed grauiſſimis de rebus ad Regem litteras ſe dediſſe, quarum reſponſum opperiri neceſſe erat. Cum Arbuquerciæ præterea Duce nouo Regis Romæ Oratore, quicum illi neceſſitudo vetus intercedebat, clam egiſſe ferunt, vt Cardinalem à propoſito reuocare conaretur; aut ſaltẽ impetraret, ne ante Maium Menſem Neapolim profectionem iniret. Is nimirum confidebat, abrogationem ſe decreti beneficio temporis impetraturum. Cęterùm ſunt, qui affirment, minimè Gyronem diſsimulaſſe: ſed, vt olim Albæ Dux Belgio prępoſitus ad Philippũ II. peſsimo exemplo ſucceſsorem iam præſentem audacter remiſit, præfecturamque impunè ſibi retinuit, quæ res Italiam, Hiſpaniamque continenter per plurimos annos perpetuis bellis exhauſit; ita apertè profeſſum ſe Borgię Regnum non traditurum, ſeu quia Regi id minimè vtile videretur, ſeu quia nullo regio iuſſu, prout ipſe iactabat in vulgus, ſibi imperium eriperetur. Quod neutiquam à ſapientibus viris probatum: nam per quas litteras Succeſſori defertur imperium, per eaſdem prędeceſſori abrogari cenſetur. Ab Rege nihil im-

Eiuſdẽ ad Cardinalẽ Borg à reſponſio, & cum Arbuquercię Duce conuentio.

Repudiatio perſonę Cardinalis Borgiæ, ꝑ Ducẽ Oſſunę facta, cõparatur illi, quam olim in Belgio fecit Dux Albanus.

Axioma.

 petrauit.

petrauit: Borgiam liberaliùs, mitiùſque agentem vltrò litteris, citroque dierum, ac menſium ſpatio, quamquam à Principibus Neapolitanis ſolicitatum, deluſit. Interea temporis, vt in Hiſpania, nulla repulſa ab incepto deterritus, nihil prætermiſit, quò ſibi Prætura confirmaretur; ſic Neapoli veteribus, nouiſque Conſiliis innixus pleraque haud cunctanter molitus eſt, quæ in eam opinionem plurimùs adduxerunt, vt altios ab ipſo tentari fortunam Regni putarent, facerentque Maieſtatis reum, tamquam perfidiam, & defectionem à Rege meditaretur. Nihil illi antiquius fuit, quàm vt plebis animos occuparet, ſibique adiungeret; quò ad reliqua perpetranda ſubſidium, ſin minus ſuccederent, perfugium, aut etiam vltionem haberet. Carolo Grimaldo Regi fido, & ſani conſilii viro, qui electum populi Tribunitia poteſtate ſe ſe ferebat in Hiſpaniam, Reipublicæ cauſa procul agenti, nullo cum populi ſuffragio Iulium Genuinum ſubſtituit, reuerſoque, & repetenti interceſſit, eoq; abdicare coacto Genuinum itidem confirmauit. Erat Genuinus homo audax, facinoroſorum hominum factionibus potens, lingua, & manu promptus, de Republica non bene ſentiens, atque ad omnem conatum Ducis paratus. Cum eo Dux Oſſunæ ſecreta conſilia communicare, præcipereque, vt aſſumptis ſcelerum ſociis ſpeciæ tuendę multitudinis aduerſus poten-

Creditum eſt Oſſunę Ducem ad regni Neapolitani abſolutũ Dominiũ aſpirare.

Abrogatur Carolo Grimaldo Tribunitia poteſtas, eademq; Iulio Genuino homini facinoroſo confertur.

tes,

es, Ciuitatem quam maximis fieri poſſet terroribus implicaret. Ille continuò improbum,& profligatum quemque aduocauit,ingentemq; perditorum hominum numerum ſumma ſpe præmiorum propoſita ad ſuum nutum traduxit. Affuit inter cęteros Franciſcus Coſta perfidia, & temeritate, ſi quis mortalium præcellens, qui neque homines, neque Numina verebatur, aliique complures Genuino, Coſtæq; affinitate, aut flagitio coniuncti; quorum hortatu,& Ducis pollicitationibus effectum eſt, vt Centurionum plerique in turpem militiam nomen dederint, Duciq; in omnem libidinem ſuam operam dedicauerint. Apud hos acutè, & luculenter diſſeruit Dux, illos à ſe magnis beneficiis affectos, maioribus afficiendos: æquum eſſe, vt ſuam exiſtimationem, dignitatemque acriter oppugnatam defenderent, quæ cum Regni ſalute, Regiſque fortuna coniuncta eſſet. Nam quòd à Regni adminiſtratione reuocaretur, ac propemodum depelleretur, quòd Clerico concedere cogeretur, eam eſſe inimicorum Optimatium inuidiam, violentiamque qui ad propria flagitia tegenda, calumnijs apud Regem ſe grauiſſimis oneraſſent. Niſi ſe boni illi viri deſtituerent, cauſæ honeſtatem ſuum locum habituram, laudem ab omnibus, præmia, & largitiones ab ſe eoſdem vberrimè reportaturos. Plebem verò, cum ipſius tuendę cauſa in eiuſmodi anguſtias coniectum

Franciſcus Coſta quis & qualis.

Ducis cum coniuratis diſſertatio

Quibus artibus plebem ſibi demereba tur Oſſunę Dux.

ctum eſſe profiteretur, largioremque in poſterum annonæ copiam ſe facturum, & vectigalia leuaturum polliceretur, ita imbuendam curauit; vt palàm negaret, ſe permiſſuram Duci imperium abrogari; quod ſi quid ſecùs agitaretur, armis ſe tantam iniuriam aduerſus auctores vindicaturam. Genuinus imperatis perficiendis operam nauans, prefectos viarum complures pro arbitrio delegit; Coſtam præ cęteris, armatoſque tamquam ad cuſtodiendam Ciuitatem progredi iuſſit. Ij, confluentibus vndique obæratis, atque egentibus ſpe prædandi compluribus, magua agmina repentè conflarunt, quæ ſi in aperto coniuncta fuiſſent, iuſtam aciem exęquaſſent. Genuinus continenter per quàm multis ſtipatus armatis pergebat in publicum. Coſta validam ſatellitum manum ſecum trahebat. Reliqui qui minoribus, qui maioribus latronum ſepti cohortibus incedebant. His præſidiis confirmati diuerſi circumcurſare, varias inire vias, interdum coniungi. Momento fermè temporis vniuerſam Vrbem metu, ac tumultibus oppleuerunt. Nam, & per ſummam licentiam impunitate quaſi propoſita homicidia paſſim committebantur, neque vlla rei alienæ ratio habebatur. Qui aut bene de Republica ſentiret, aut opibus abundaret, ille hoſtis iudicabatur. Adprobare facinus videbatur Prorex ipſe, ſellaque geſtatoria, aut equo prouectus ſępenumero in cōſpectum

Coniuratorum per vrbem cōmiſſa ſcelera.

Dux cōiuratorū ſceleribus fauere viſus.

tum multitudinis ſe dabat. Illud inter cętera inſigne facinus immanitate barbara patratum fuiſſe om memoratur. Franciſcus Coſta, is, de quo modò mentionem fecimus, neſcio quam ob cauſam Abbatem cognomento Marrum (Abbates cuiuſcumque generis Clericos appellare Neapoli conſueuere) mortali odio proſequebatur. Hunc in ſacris ædibus D. Petri Mart. nactus per vim comprehenſum, fruſtraque reluctantem, ac pro foribus pertractum, pluribus ingeſtis vulneribus confodit. Iamque in vltima vitę periodo miſer ille conflictabatur, cum ſupplex orauit adſtantes, vt confeſſarij copia fieret. At percuſſor & confeſſarium impiè prohibuit, & morientem denuo tranſuerberauit, quantumque in ſe fuit, niſi clementia Numinis afflauit inſontem, beatis ſyderum ſedibus ſpoliauit. Neque tamen aut legum auctoritate, aut Proregis imperio homicida coercebatur, quominus luto progrederetur, ac per inchoata ſcelera tota Ciuitate debaccharetur. Vbi conuentus Electorum fieri ſolebant, in ea loca ſeditioſorum concurſus frequentior: ea fermè erant forum, ædeſque D. Laurentij: ibi minæ, & conuitia: eaſque iniurias Tribunis nobilibus inferebant, quæ illos ad vltionem capeſcendam vehementer excitarent, atque ad tuendum ius, & dignitatem acrioribus ſtimulis prouocarent. Etenim illud ſibi potiſſimum in animum induxerant coniurati, omnem

Barbarum & inhumanum Franciſci Coſtę facinus, in Abbatem Marrum.

Mirũ coniuratorum ad arma deſideriũ.

nem

nem ſuam ſalutem in eo poſitam eſſe, vt res ad arma deduceretur, quorum tamen culpa in Optimates tamquam in auctores, conferri debere videretur, eorumque apud Regem exiſtimationem, ac fidem labefactare, populi, & Ducis amplificare, ac ſubinde conuertendæ Reipublicæ occaſionem ex eo ſibi petendam eſſe cenſuerunt. Qua quidem re animaduerſa Optimates nihil ſine ſumma prudentia, ſummoque conſilio geſſere, abdicatique vltrò tantiſper, donec tempeſtatis atrocicitas deſæuiret, ſuas iniurias ſaluti publicæ condonauere. Dum hæc geruntur, frequentes ad Borgiam tum ipſorum, tum complurium bonorum litteræ perferuntur: quibus vexentur cladibus, edocent, orant, obteſtantur, moras exuat, feſtinet, in ſummo periculo Neapolim fluctuare. Ille animi anxius, cùm ad ſalutem Regni, tùm ad ſuam dignitatem pertinere vehementer arbitratus, vt præſentibus, impendentibuſque malis quam celerrime ſubueniretur, quicquid futurum eſſet, conſilium proficiſcendi cępit. Menſis Aprilis ad exitum inclinabat: Roma Borgiam clam ex propoſito exeuntem nulla officia Principum, nulla aulidorum obſequia ſecuta: Tybur primò, deinde Caietam delatus eſt. Caietam haud procul ab ſinu Baiano de nomine Nutricis appellatam condidit. Ingredientibus regnum Neapolitanum maritimo itinere prima occurrit; quamobrem tuta munitionibus,

Neapolitanorum ad Cardinalē Borgiā litteræ.

Borgiæ ab vrbe diſceſſus ad Caietā aduentus; quæ vrbs Caieta; vbi ſita; vnde ſic appellata.

ribus, & portu nobilis. Ibi nulla cum pompa, nullo curſu honore exceptus eſt; quippe Dux Oſſunæ, cum aduentantem præſenſiſſet, omnia officia prohibuerat, quæ ad colendos non modò Proreges, ſed Principes adeò quoſque viros ex antiqua conſuetudine inſtituta ſunt. Quam ob cauſam neque quiſquam Neapoli ſoluit, neque aliis è locis obuiam Cardinali, niſi ſerò progreſſus eſt. Borgia Caietę ſubſtitit: Ducem Oſſunę de ſuo aduentu per epiſtolam commonefecit: domeſticos nuntios ſalutatum miſit, eoque officio, ne quid ad conciliandam beneuolentiam deeſſe videretur, pluries perfunctus eſt. Dux neque viciſſim coluiſſe, neque reſcripſiſſe dicitur: immo verò nihil rei ſibi cum illo eſſe palam profeſſus eſt, monuitque, vt cauerent omnes, ſi de rebus, quæ ad imperium pertinent, Borgia ſcripſiſſet, ne fidem litteris adhiberent: illum ab ſe alienum, atque à procuratione regni ſemotum: ſibi eam cuſtodiam demandatam: ad ſe præcepta Regis continenter deferri, quibus ſucceſſiuis pro re nata temporibus ſibi eſſet obtemperandum: opperiri ſe litteras addidit, quibus apertius ſibi imperium confirmaretur: quicquid foret, antè Octobrem Menſem excedere ſe prouincia ſine Regis incommodo neutiquam poſſe, idque armis quoque, ſi oporteret, ſe defenſurum. Ita Borgia pluribus diebus fruſtratus, & Caietæ detentus eſt. Interea, vt ex eo tempore,

Ducis Oſſunæ erga Cardinalē ruſticitas.

quo ille Caietam ſe contulit, Dux Oſſunæ aliquan to remiſſius, cautiuſque agere viſus eſt, ſic mox tum ipſe, tum ſui ad ingenium redierunt, intermiſſaſque tantiſper vexationes, ac cędes acriore cum animorum impetu redintegrarunt. Tantis crebreſcentibus calamitatibus, litteræ ad Cardinalem, preces, quęſtus Neapoli renouari cęperunt: clam nonnulli etiam adiuerunt, præſenteſque inſtituerunt, vt pergere feſtinaret. Ille cum fidis, ſapientibuſque viris conſilio communicato, vt adprobari intellexit, Prochrytam ſe transferre conſtituit. Prochryta Tyrrheno in freto Inſula eſt, quam ſeu verum illud ſit, ſeu fabuloſum, ingenti antiquitus terremotu concuſſa Inarime inſolito partu effudiſſe memoratur. Haud procul Neapoli, propius Puteolis abeſt. Borgia Duci Oſſunæ per litteras, domeſticumque nuntium ſignificauit, ſe Prochrytam proficiſcendi conſiliũ cepiſſe, vt propius adeſſet, & ne quid tanto in motu iniquius accideret, geminata cum illo auctoritate, communique induſtria curaretur, orauitque, vt ad eam rem triremium aliquot ritè inſtructarum copiam faceret, impotentiamque hominis verbis humaniſſimis delinire conatus eſt. Indulſit Dux, cum ſe negare ſine iniuria, contumaciæque nota intelligeret minime poſſe, triaque ad Borgiam nauigia dimiſit. Sic ille Caieta ſoluit, atque ad diem XI. Kal. Iun. Prochrytam appulſus eſt. Dux Oſſunæ vbi

De Prochyta Inſula Poetarũ fabulationes

Card. proximior aduerſus, quales in Duce Oſſunæ effectꝰ cauſarit.

ubi ęmulum in veſtibulo habere ſe ſenſit, tum verò furens, neque ſibi vtique temperans, ea omnia agitare, quæ ſumma deſperatio, & dolor dictabat. Angebat animum, quod rebus non dum rite diſpoſitis, ob præſentiam ſibi alieniſſimam Cardinalis, aut conſilia omnia dimittere, aut certè præcipitare cum periculo cogebatur. Regnum quippe, vt conſtans fama percrebuit, per vim, & direptionem Ciuitatis occupare cum deſtinaſſet, extera conſilia, quę iam in tempore adeſſe non poterant, opperiebatur. Ità deinde fertur diſpoſuiſſe è coniuratis vnus, qui conſcientiæ impunitatem impetrauit. Igitur ille clam iubere, vt tumultus augerentur: Genuinus fora, & conuentus frequenter curſaret: Optimatibus vlciſcēdi occaſionem præberet: Milites, quos in Belgium mittere debebat, apud ſe habere quæſito titulo, Hiſpanorum ad duomilla, Francorum multos, quos præ largitionibus obnoxios habebat, ſibi adeſſe præcipere, ipſorum quoque cauſam agi, damnatorum plurimos, quos à triremibus liberauerat, ad rependendum beneficium in ſui cuſtodiam armari imperare, omnes ſpe præmiorum, prædęque confirmare. Prid. Kal. Iun. cum annonam laxari iuſſiſſet, congregata ad ingentem numerum plebe coram proceſſit, tum beneuolentiam oſtentare, magnificè de ſe differere, pecunias prodigè ſpargere cępit; exhauſtis pecuniis nodulos aureos è ſago detractos,

Regni occupādi cauſa, quid fecerit Dux Oſſunæ.

Nouis muneribus, & congiarijs populū ſibi demereri ſtudet D. Oſſunę.

ctos, cingulum ex adamantibus conflatum: poſtremo, ſi quibuſdam credendum eſt, pileum, palliumque vecordi liberalitate proiecit in vulgus, monuitque, vt in officio manerent, ac pro ſe ſtarent neque enim Clerici eſſe tantum regimen ſuſcipere, qui dubio procul multitudinem à nobilibus opprimi, pateretur. Ita per Ciuitatem decurrenti populus plaudebat, ſuamque operam tamquàm Patri pollicebatur. Concurſu, atque auiditate obruti multi interiere, lætante Duce, qui huiuſmodi ferè tragedijs delectabatur. Incedebant continenter Genuinus, præfectique viarum cum validis armatorum globis, neque vlli flagitiò parcebant, Coſta præ cęteris. Cum eo in ipſomet templo Sanctæ Mariæ nouæ fortis è clero adoleſcens acerrime vſque ad interitum dimicauit: nam cum adoleſcenti vim prædones illi afferre vellent, ipſe paruo expedito ferreo tormento (etenim ſuperiore exemplo eruditi, ne clerici quidem putarunt ſibi committendum, vt ab armorum ratione abeſſent) admotaque ad nitrum ſilice inimicorum numero minime territus plumbi glandem violenter explodit, alterumque interemit, alterius frontem exerto gladio è veſtigio cecidit, ipſumque Coſtam fugientem eodem impetu inſecutus vſque adeo perterrefecit, vt niſi oppreſſus ſatellitum numero, extinctuſque fuiſſet, eumdem etiam interfeciſſet.

Dux Oſſu- næ aliorũ interitu lætabatur.

Sacrilegiũ facinus in tẽplo Sanctæ Marię nouæ Neapolis perpetratum.

Cæte-

Cæterùm non inultus expirauit, neque ijs nefas impunè permiſit, qui ſacroſancta Diuorum immortalium Domicilia innoxio ſanguine polluebant. Dum hæc, aliaque infandi moris exempla promuntur, reſque in deterius momento temporis dilabuntur: vt à principio vniuerſa Ciuitas ſordidum meſtitiæ vultum vbique induerat, ſic ſordidiſſimum denique induit: pacto omnibus, atque animi conſternatio: cauebat vnuſquiſque ſuis rebus, cauebat ſibi, quemque fabula exitum habitura eſſet, trepidus opperiebatur. Opulenti pretioſam ſupellectilem in penetralia ſanctorum locorum, clauſtraque cœlibum, quæ religione tuta putabantur, ſedulo transferebant: Matronæ in ſacra Virginium Domicilia concedebant: aberant à foro Optimates: Magiſtratus à conuentibus abhorrebant: Mercatores ab exponendis mercibus abſtinebant: ſquallebant viæ: fores obſtruebantur: valuæ templorum claudebantur: nulla pietatis officia, niſi clam, & cum trepidatione frequentabantur: nihil celebre, niſi crimina, & metus: ſacra quæque, ac profana eadem lege habebantur: omnia ſacrilegum, populabundumque militem perhorreſcebant.

Quanta in vrbe Neapoli rerum perturbatio.

Eſt Neapoli Senatus inſignium virorum, quos Regentes vulgo appellant, conſiliumque conſtituunt, Collaterale quod vocant, eo quod à Latere Proregis aſſideat, Regnique adminiſtrationi

Senatus Regētum Neapoli.

tioni vna cum ipſo aſſiduam operam impendat.

Conſtantius Marchio Curleti quis, & qualis.

Eminebat ante reliquos Marchio Curleti, cognomento Conſtantius: ex eius conſilio, ac propè arbitrio plurima gerebantur: opinio virtutis, ſolertia, rerum vſus hanc illi pepererunt auctoritatem: ad gratiam quoque Oſſunæ Ducis magnum præ cæteris acceſſum iam pridem prudentiæ ope ſibi parauerat. In tanta rerum trepidatione Conſiliarii, & plerique nobilium anxii omnes, ancipitiq; animo magnam Ciuitati cladem pertimeſcebant, variiſq; ſententiis pronuntiatis, quo modò imminenti malo occurreretur, minime reperiebant, neque aberat, qui ſaltem preſſis labiis in Ducem Oſſunæ omnem periculi cauſam referret. Præſenſit ille perturbationem, ipſumq; adeo hæſitare Conſtantium, cui ad ſuorum cōſiliorum perfectionem maximè pertinere arbitrabatur, vt inſontem ſe in primis probaret. Ad eum, cæteroſque, qui cum ipſo erant, Marcellum de Tufo, prætorianorum Pręfectum allegauit, qui bene omnes ipſius nomine ſperare iuſtos erigeret; ipſum omnia tuta quàm celerrimè præſtiturum, idque vbique vulgari curarent, quo nimirum intelligeret vnuſquiſque, vt ſine periculo, ſic ſine metu eſſe deberet. Ad ea Conſtantius reſpondit, nunquam ſe in animum induxiſſe, ne ab auctoritate, virtuteque Ducis, quem ſalutis, quietiſque publicæ amantiſſimum nouerat, proximiora remedia ſperaret. Orare ſe

Regētum, & Ducis mutua tractatus.

pro

ro ſua fide, atque officio, vt id præſtare quam
itiſſime feſtinaret. Cæterùm ad euitanda incom-
ıoda nihil præſentius, conſultiuſque, quam im-
erare Genuino, vt à populari cogendo foro, in-
ictoque eadem die ad Diui Auguſtini templum
onuentu abſtineat. Ita ſpem Ciuium ſubſidiū ha-
ituram, cui innitatur. Vt reſponſum huiuſmodi
ccepit Præfectum eumdem ad Conſtantium re-
iiſit, vt perferret, eam curam Duci eſſe relinquen
am, illum omnia momento temporis pacaturum:
portere in id tamen cum Optimates, tum popu-
ım conuenire, vt pro ſua quique parte de mutuis
ontrouerſiis, & rationibus Nuntios pari conſen-
ione deſtinarent ad Regem; quò celerius dirime-
entur: ſi quidem populares vrgendo inſtiterant,
e ante prætura decederet, quam diſſidium com-
oneretur: ſin ſecus tentaretur, ad arma ſe aduer-
us nobilitatem perfugium habituros, ab iiſque
udicium exacturos, obteſtati fuerant. His vltrò,
itroque perlatis Prętorio exiuit ſpecie quidem, vt
ompeſceret ſeditionem, quam tamen ex parte
rohibuit, re autem, vt multitudinem proiecta
urſum pecunia quam maximo ſtudio fieri poſſet
ibi obligaret. Reuertenti Conſtantius, atque è
rima nobilitate complures obuiam proceſſerunt.
Eadem coram diſſeruit Conſtantius, quæ per Prę-
fectum rogauerat; quietem, ſalutemque Ciuitatis
ab eius auctoritate, ac prudentia pendere, nihil

iam

iam ſupereſſe niſi excidium, & flammas: nullam Regni commodiorem operam præſtari poſſe, quàm incolumes populos eidem reddere, hanc laudem cæteris adijcere ne differret. Inopinato hominum aduentu perculſus Dux, & conſcientia fortaſſe territus, longo, nec ſatis conſtante verborum inuoluero reſpondit, perturbatamq; mentem quo magis abdere in ambigua, interruptaque nitebatur, apertius prodidit: quippe nunc lenitatem quæſiuit, nunc indignationem laxauit, agitatoque animo vocibus obſecundauit. Summa demum hæc fuit.

Querelæ Ducis Oſſunæ contra Regentes.

Multos ad Borgiam ſalutatum ſe inconſulto profectos eſſe: Magiſtratus ad illum Neapoli recipiendum creatos, electos nobilium: non modo ſe à populi rationibus, ſed à ſui ipſius quoque commercio abdicaſſe quæſtus eſt: non id ſuam mereri adminiſtrationem æquam omnibus. Iam conuentum popularem habere Genuinus interdictum, præceptumque, vt debita officia Optimatibus exhiberet. Quod reliquum erat, darent operam Conſtantius, cæteriq́ue, vt electi Nobilitatis in conſpectum ſe traderent, quo communi conſilio rebus remedium quæreretur, legatique ad Regem de contentionibus ab vtraque parte deſignarentur. Illud ſe curaturum ſedulo, vt beneuolentiam, concordiamq; inducerent, neque permiſſurum aliquid intereà nouitatis in Ciuitate tentari, dum

reſpon-

reſponſum ex Hiſpania reuerteretur. Id ſi ab Optimatibus impetraret, nunquam futurum eſſe, vt illos facti peniteret. Huiuſmodi Orationi viſi in ſpeciem ſunt plerique ſubſcribere. Addidit Conſtantius ſe officio non defuturum, electiſque nobilibus adeſſe abnuentibus operam daturum, vt conuentibus aduocati noui Magiſtratus ſufficerentur, qui Duci placerent. Ita diſceſſum. Cęterùm vt Dux Oſſunæ eò potiſſimum cogitationem intenderat, vt Cardinali adeò propinquę, ne in Prętturę poſſeſſionem immitteretur quoquo modo impedimentum afferret: ſic illi omnes eam curam vnā in ipſo eſſe identidem animaduerterunt; ne locum amitteret, cumque tumultus pertinaciſſime perſeueraret, neque fides Orationi conſtaret, ad tutiora animos appellendos cenſuerunt.

Quæcumque in Ciuitate agerentur, de ijs Borgia certior quotidie factus angebatur animo vehementer, atque omnia conſilia quærebat. Ad eum cogitatione talia agitantem, viri clariſſimi, & Patriæ amantes, tamquam officii gratia, plerique ſe contulerunt. Jj in primis fuiſſe dicuntur Achaiæ Marchio, Alexander Montius, Lelius Brancatius. Hi officio vrbanitatis perfuncti ad labentis Reipublicæ ſtatum ex compoſito ſermonem ſubinde fluxerunt, ærumnas, & pericula, quæ nuntiabantur, niſi grauius, at illuſtrius aperuerunt, omnia ad miſeratione inſtruxerunt, modum, mede

Qui primi ex Neapolitanorum Magnati-bus ſeſe ad Card. Borgiam contulerint, quidvè cũ eo egerint.

lamque ſine cunctatione afferendam conſultiſſimè diſſeruerunt; illam in ipſius præſentia, atque auctoritate poſitam eſſe: nihil reliquum ad ſalutem. Borgia, qui eodem flagrabat deſiderio, in hunc modum reſpondiſſe memorâtur.

Card. Borgię ad optimates Neapolitanos oratio.

Ego viri fortes, vt nunquam hanc Prouinciam ab Rege quæſiui, ſic poſtquam ab eo mihi demandata in tanta rerum perturbatione fuit, nihil me æque ſollicitum habet, quam vt fidem, ac laborem pro eximio beneficio rependam, regnumque meæ cuſtodiæ creditum auguſtiſſimo Domino, atque optime de toto orbe merenti inuiolatum reſtituam. Si morte ipſa id conſequi poſſum, mortem oppetere non recuſo. Quæ propterea officia cum Duce Oſſunæ, neque fortaſſe abſque iactura dignitatis, non omiſerim, vt illum ad ſana conſilia redigerem, vos non latet. Ille tamen oblitus Regis, oblitus ſui, neque mei memor, omnes vias ſepſit, omnes aditus interclusit, ne mihi ad Præturam ineundam pateret acceſſus, meaque cauſa videri vult oriri incommoda, quæ ipſe ſeuit. Hac ſpecie ſuam fidem Regi probare, meam labefactare contendit. Sed vos teſtes, meaque me conſcientia aduerſus omnem calumniam munit, neque ipſa Regis ſapientia machinationibus expugnatur. Si ad exitium Reſpublica delabatur, quam minime accepi, cur incolumen non reſtituero, nulla mihi ratio reddenda erit. Vis arcet; cum eo milites, & multitudo, pauci admodum nobiſcum conſentiunt;

ſentiunt; ego hic prope exul, aut etiam in cuſtodia aſſeruatus agere cogor. Si rei bene gerendæ idoneus modus afferatur (nam tentare ſine euentu pernicioſum duco) haud quaquam verendum eſt, quin omnia experiri malim, quam hic eſſe, alienaſque miſerias ſecurus turpiter adſpectare. Vos oro, atque obteſtor pro veſtra ſapientia, & prudentia, conſilia vt omnia ad hanc rem vnam inferatis, qua communis ſalus, & dignitas continetur. Illud vobis debeam ipſe, debeat Rex, Regnum Neapolitanum veſtro documento ſeruatum vigere poſse: mihi operam, laborem, periculum vni dimittite. Ita Borgiæ locutus eſt.

Viri Principis claritas, & rerũ notitia fidem orationi fecerunt. Itaque variis ſententiis in medium allatis in eam opinionem demum venerunt, vt Borgiæ Senatu, iiſque Magiſtratibus accitis, ad quos ea ratio pertinebat, Præturæ poſſeſſio quam occultiſſimè fieri poſſet, in ipſa Inſula Prochryta traderetur, ibique apud eum ſacramentum diceretur. Vſurpatio huiuſmodi moris, cuius exemplum non extabat, negotium faceſſere videbatur: verum illa quoque à neceſſitate, ac periculo excuſationem accipere putabatur. Percepta poſſeſſione, ac iure ſeruato magnum inde oſtium ad omnia apertum fore profeſſi ſunt, cætera ſibi relinqueret. Id non ægre Cardinali perſuaſum, dummodo inchoata, inexpletaque res ipſius exiſtimationem

Præturæ Neapolitanæ poſſeſſio clã traditur Cardinalis Borgię in Inſula Prochrytra.

tionem ingenti vulnere non deturparet. Regreſſi Neapolim rem illi cum amicis, collegiſque communicarunt, cum Principe inter cæteros Biſinia- ni, magniſque imaginibus pleriſque continuò adprobata. Explorati etiam, atque occupati quorundam Centurionum animi, ac Præfectorum arcium, quos nempe ſeu recti amore, ſeu odio Ducis aſſenſuros ſperabant. Quamobrem cum Caſtrum nouum, arcemque S. Ermi iniſſet Dux, curis agitatus, ſilentioque obrutus, reuertiſſe dicitur, ac deinceps in militia extra arces conſtituta omnem ſpem ſibi eſſe collocandam cenſuiſſe. Vt ſatis pro tempore ex ſententia conſultum, Regentium multi, Carolus Grimaldus, ad quem Tribunatus Populi legitimo iure pertinebat, aliiq; quos ratio, & conſuetudo exigebat, ſtata hora diuerſi quæſitis titulis in Inſulam conuenerant. Conſtantius Neapoli ſubſtitit, ſuam tamen voluntatem ſcripto clandeſtino collegis adiunxit, ſpecie quidem, ne profectio tāti viri, ſine quo nihil magnum Dux à quoquam fieri vel poſſe, vel debere exiſtimabat, tradendæ poſſeſſionis inditium faceret; re autem vera; vt quemcumque res exitum nacta foret, ad gratiam vel Borgiæ, vel Gyronis parem ipſe acceſſum haberet. Coactis omnibus explicatum eſt Regis diploma, quo Borgiæ Regni Neapolitani adminiſtratio deferebatur, negotiumque properanter tranſactum eſt, ac poſſeſſionis auctoritas in

Quæ acta ſint pro introducendo prætura Card. Borgiæ.

in Cardinalem tranſlata. Hæc dum agitarentur, ſuſpicacem Ducis animum rumor aliquis laceſſiuit: arduum quippe delatoribus omnem aditũ intercludere, ſenſitq; ille, & ſi obſcurius, agi de ſumma rerum: id circò obuiã eundum, ac feſtinandum ratus omnes cuiuſcumq; fori Decuriones in domũ Genuini conuocari mandauit. Actum ibi de Borgia in poſſeſſionem non admittendo; pleriſque iniquitate, atq; indignitate rei permotis abeuntibus abrogatus eſt locus, ſuffecti deterrimi: ex eo auctus terror vehementer in Ciuitate, ac direptionis, incendiiique metus, nec non clamore ſæpius ſublato penè ad arma concurſum eſt. Multi fuga; alii latebris ſaluti propriæ conſuluerunt. Erat dies iij. Non. Iun. Cœlum iamdiũ nubibus obuolutum, cum male antea fulſiſſet, eo die peſſime fulſit, tenebriſque mirum in modum inſtar nocturnæ caliginis expanſis, tonitruis, fulgetriſque horridum, at ſi alterutrã cum parte coniuraſſet, aut flagitium velare, aut prodere niteretur. Decius Cardinalis Caraffa, qui Archiepiſcopatum Neapolitanorum Pontifex adminiſtrat, quæ in terris, quæ in nubibus agebantur portento ſimillima conſpicatus, pro vt in pietatem propenſior eſt, Cathedralis Eccleſiæ Canonicus ſacrarum horarum omittere officia iuſſit, ad ſeque ingruente neceſſitate ſtatim accedere. Cum adeſſent, in conſultationem adductum eſt, an ſolemnes per Ciuitatem ſuppli-

Ducis Orſunæ ſtudia, ad impediẽdum Cardinalis in Praturã ingreſſum

ſupplicationes ad placandum Numen decerni, ſanguiſque D. Ianuarii Mart. quem eximia Neapolitani, cum veneratione colunt, prout maximis per eum ægritudinibus leuantur, & beneficiis afficiuntur, afferri deberet. Id à nonnullis probatum, à viris grauioribus mox intercessum: tantum quippe, ac tam ſanctum pignus non videbatur periculo committendum, cum infimæ plebis abſurda licentia ſub impio capite debaccharetur, ſibique nulla ſacrarum rerum, aut locorum reuerentia permota, nulla religione tacta, nullo metu Numinis territa omnia fanda infanda concederet. In hanc ſententiam ab vniuerſis ex templo deſcenſum: decretæ tamen intra templorum ambitus ad auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum frequentes ſupplicationes, nec ſine ſummo ardore deuotionis, ac lachrymis officium tranſactum. Dux Oſſunæ in eo totus erat, vt moram inijceret: id vi, atque artibus tentare non deſtitit. Inter milites, ac multitudinem iam prouiſum, quid vi agendum eſſet. Addunt, triremes illum propiùs Inſulam in armis collocare, & Cardinalem tamquam in obſidione continere voluiſſe; ſin euaderet, & ſe in Regiam ſecurus reciperet, ſuffoſſis cuniculis, ſuccenſaque domo miſerrimè conflagaret. Eius rei indicium deindè patuiſſe, rumor increbuit, inuentumque in ſubterraneis locis nitratum puluerem ab huiuſmodi maleficiū para-

S. Ianuarij Martyr Patron⁹ Neapolitanorum.

Ducis Oſſunæ in Card Borgiæ exitiū barbara attētatio, inique Nobiles machinata clades.

paratum. Ego tam abſurdæ vecordiæ difficile aſſentior. Cæterum in ſequentem diem populationem ædium nobilium Virorum ſibi aduerſantium ab ædita turri D. Laurentii dato ſigno ictu campanæ plebi, ac militibus indixiſſe memoratur; niſi regno potiretur, in eoſdem Optimates ſcelus retorquere cogitauiſſe; tamqnam conuictos Maieſtatis, & gliſcentis flagitii compertos. His ita diſpoſitis ab arte quoque adiumenta, vt dixi, petiuit: etenim Agrigenti Epiſcopum cognomento Brauum, ipſumque vna Regentem Conſtantium ad Cardinalem legatos miſit, imperauitque, vt orarent, cunctari tantiſper ne recuſaret, donec tabellarius cum reſponſis ex Hiſpania regrederetur; tum explorata Regis voluntate, obſequi ſe paratum: tabellarium longius abeſſe minime poſſe. Illi curru ad littus aducti abierunt, ſed vt omnia, vel in ſalutem Ciuium, vel in perniciem Ducis conſpirauerant: currus in itinere impegit, fractúſque eſt. Idcircò ſubſiſtere coacti ſunt, donec per fabros vehiculo maderetur. Quod maximam Borgiæ inceptis vtilitatem attuliſſe docuit euentus: cum illo quippe iiſdem primi conſilii auctores cum eſſent, feſtinandum, virtutique omnibus fidendum, audendumque ratis, ita demum tranſacta res eſt. Cardinalis per Inſulam venatum progredi ſimulans, omnia inſtrumenta, & famulatum ſecum adduxit, vbi ab ædibus Aualorum Prin-

Legati Ducis Oſſunę ad Card. Borgiam.

Quo ſtratagemate Card. Borgia vſus ſit vt tutus & occultus in littus Neapolitanum appelleret

Principum, in quibus agebat longius proceſſit, & non nihil de via in gyrum flexit, in domum priuati cuiuſdam, quæſito colore, tamquam neceſſitate naturæ compulſus, ſella geſtatoria ſe inferri mandauit, duobuſq; dumtaxat domeſticis ſecreti conſciis ſecum retentis, cæteros omnes egredi iuſſit. Ipſe relicta purpura, Didaci Sauedræ alterius domeſticorum veſtes aſſumpſit, pulloque amictu priuatum hominem repræſentauit. Alteri, cui Amatorie de Montoia nomen erat, purpura iniecta, à geſtatoribuſque neutiquam obſeruatus ſella eadem in ædes Aualorum pro Cardinale relatus eſt. Brauus Epiſcopus, Conſtantiuſque, qui, peragente Inſulam Cardinale, eò lintribus appulſi fuerant, eumdem opperientes cubiculi foribus adſidebant; vt illum, prout putabant, ſilentio illatum viderunt, mirati ſunt, & coram admitti poſtulauerunt: qui adſtabant varias excuſationes adduxerunt; quocirca diutius ij nequicquam morati, Neapolim ſe referre ante veſperam ſtatuerunt. Verum ad fores progreſſi, ſublatis pontibus, viiſque omnibus interſeptis abire ſe nequire ſenſerunt: indixerat enim Borgia ne quis loco, aut Inſula egrederetur, ſecùs damnatus capitis cenſeretur. Inde quæſtus, non poſſe ſe à Cardinale, quamquàm Prorege in cuſtodia haberi, nemini in ſe, qui in Senatu Regio aſſiderent, iudicii ius eſſe, niſi ipſi Conſilio Regio in Hiſpania degenti, atque

alia

alia id genus; àt quia vel nulla reſponſa referebantur, vel aliena, cæna, ſtratoque impetratis, noctem inibi traduxerunt; poſtridie rem penitus intellexerunt. Borgia interea ad ſinum quendam altiſſimo mari pedes progreſſus, paratos lintres intrauit: aderant, quos dixi, Princeps viri, quorum fidei commiſsus inclinante iam die Inſula exceſſit, & nocte vix orta inter Puteolos, & Niſitam in Litus Neapolitanum deſcendit. Erant in littore paratæ quadrigæ duæ, altera nobilis è Biſiniani Principis domo, altera conductitia, illa Optimates euecti ſunt, hanc obtentui vilem, quaſi ad portanda ſorcitia, cum familiaribus ſuis, ipſe Cardinalis aſcendit, perque rectam Pauſilipi viam compoſita iam cum præfecto re in Caſtrum nouum receptus eſt. Id continuo Santermianæ, Ouianæque arcium Gubernatoribus rei conſciis ſignificatum, & ne vſque ad ſequentem lucem manifeſtarent, editum. Didacus Sarmentus, qui Hiſpanæ militię præerat, Octauianus Loffredus, qui peditibus Italis imperabat, conſilii participes, copias ſuas omnes eadem nocte ad Borgiæ fidem, tamquàm acceſsuri proxime traduxerunt. Vniuerſa ignoto Duce, quamquàm ſuſpicante, peracta ſunt. Poſtquam illuxit, arces omnes tormentorum vnanimi ſonitu, plauſuque eodem momento facti ſignum dederunt. Dux nouitate

Borgia in Caſtrum nouum appellit.

Didacus Sarmētus, Hiſpanicæ militiæ, & Octauianus Loffredus Italicę Præfecti.

rei exitus, vt intellexit, repente elanguit, quæſtuſque eſt, militem à ſacerdote ludibrio habitum. His curis agitatum Sarmentus à Borgia miſſus conuenit, litteraſque reddidit, quæ hominem de re certiorem facerent; cauſabaturque Cardinalis, quod eo profectionem, vt ferebatur, in horas parante, Ciuitatem in tanto motu ſine moderatore eſse è republica non iudicauerat. Vulgata re gratię paſsim Cęlitibus actę, Cardinalis ſummis laudibus ad Cœlum elatus, mærorem, ac metum omnes exuerunt, cunctaque parta iam ſecuritate momento temporis ad priſtinum letitiæ, ac negotiorum ſtatum redierunt. Sunt, qui Borgiæ ſuccenſeant: negant enim Principi Viro fuiſse committendum, vt tantum periculi ſubiret de voluntate Militum, ac præſertim Aluari, Antoniique Mendatiorum, qui nouæ, ac Santermianæ Arcibus præſidebant, fortaſsè incertus: ſed nihil arduum aſſequi poſſumus ſine auſu, neque Deus deſtituit, quæ in bonum publicum promouentur. Illud quidem pro explorato habetur, maximam eo die bonis cladem, atque ingentem Ciuitati calamitatem, niſi occurſum fuiſſet, imminentem extitiſſe, conſtanſque fama fuit, D. ipſum Ianuarium P. Franciſco Olimpio è Clericorum Regularium Congregatione, qui magna cum opinione ſanctitatis, & fama rerum admirabiliter geſtarum Neapoli

Neapolitanorum ob Card. aduentum, lętitia.

S. Ianuarij Apparitio facta Patri Franciſco Olympio.

Neapoli degit, pridie oranti apparuiſſe, nuntiaſſeque, Deum clementiſſimum Ciuitati pro tempore peperciſſe. P. item Pacificum è Capuccinorum fratrum familia virum ſumma integritate, ac ſimplicitate præditum teſtatum fuiſſe à ſe Angelum eadem hora conſpectum, qui igneo cum gladio innumerabiles Dęmonum exercitus depellebat. De voluntate Ducis, per duellionem omninò nè meditaretur, an poſſeſſionis contra Borgiam retinendæ victoria dumtaxat contentus eſſet, nihil affirmare, negareuè audeo. Quæ geſſit (vel quia modum adhibere neſciuit, videntur ſane) pleriſque altiora petere, quam Præturam, & cum profuſa in vulgum liberalitate, alijſque artibus, tum militibus, vt plurimum in ſuum nomen ſacramento adactis, aut ſpe ſaltem, ac donis ad ſuas partes traductis, nec non arcibus per Prouincias tormentorum ſubſidio ſpoliatis, creditus eſt Offunæ Dux ſuæ perfidiæ ſatis amplum iudicium fuiſſe. Feruntque Genuinum Tarenti Principem deſignaſſe, Mutio Parſalaquę Calabro Equiti Hieroſolymitano Ducatum Amalphytanum, alij ſatellitum, alia decora deſtinaſſe. Affirmauit mihi vir egregius, cui fidem non adhibere propè nefas eſt, Ducem Offunæ per litteras alieno ſcriptas nomine ſummus Principes tum in Italia, tum extrà ſollicitaſſe, maximiſque pollicitationibus

Viſio P. Pacifici Capuccini.

Geſtorum Ducis Offunæ varię interpretationes.

Ducis Offunę ad diuerſos Piĩcipes quæ littera.

E 2 ten-

tentaſſe, quo ſibi auxilium ad capeſcenda ſceptra Neapolis adiicere feſtinarent. Litteræ interceptæ Romæ ab Oratoribus eiuſmodi Principum arcana prodidere, ipſi temeritatem Principes irriſerunt.

Et quoniam hæc accidiſſe ait eo tempore, quo Dux tot copias ſpecie externi belli in armis habebat, propterea, vt huiuſmodi conſilia in Hiſpaniam penetrauere, continuo Philibertus Sabaudus, is de quo ſupra mentionem feci, Regiæ claſſis præfectus Regis iuſſo alieno titulo in Italiam traiecit, & Oſſunæ Ducem exercitibus ſpoliauit.

Philibertus Sabaudus quare Oſſunç Ducem exercitu priuarit

Addunt, qui eiuſdem Ducis facta neutiquam probant, Turcicam claſſem, quæ ſequuto Auguſto Menſe, Manfredoniam Syponti loco ad Garganum montem ſitam, magna rerum, atque hominum aucta præda miſerandum in modum vaſtauit, incenditque, eam fuiſse prorſus, quam ad opem ſibi inuadenti Regnum ferendam opperiebatur. At tametſi credendum videtur, iamdiu Turcas abſceſsum Ducis non ignoraſse, nihilominus inſtinctu eiuſdem acceſſiſse, ſiue ad vltionem, ſiue vt ex euentu Borgiæ dignitatis labefactaretur, ad eamque adminiſtrationem minus idoneus videretur. Oſuniani tanta ærumnæ culpam in Venetos conferunt, quaſi hoc illi ſe detrimento aduerſus Hiſpanos vlciſci voluerint

Iudiciũ de claſſis Turcicæ, Manfredoniã inuadẽtis, aduentu.

ob

ob claſſem ab Duce Oſſunæ contra eorum vota in ſinu Adriatico collocatam. Ego neutris aſſentior remque integram veritatis iudicio remitto. Qui qui fuerunt, apud ipſos criminis conſcientia, apud Deum notitia, & vindicta. Fuga quoque Genuini, Coſtæ, compluriumque huiuſmodi, qui ab Duce pendebant ad confirmandam ſuſpicionem plurimum valuit: nam vbi primum cognouere, Cardinali iam præſenti delatum imperium, illicò ſe ex occulis eripuerunt. Genuinus nuſquàm repertus. Coſta, agente Curia ſeuere admodum aduerſus malefactores, ſuperuenienteque lictorum manu, in agro Auerſano comprehenſus eſt, & quia reſtitit, plagis affectus: Magna apud eum pecuniæ ſumma, magna vis armorum domi comperta ſunt. Ipſum multa, dum in cuſtodia aſſeruaretur, de perduellione faſſum, inquiunt. Tandem vulneribus iiſdem debilitatus expirauit. Alii quoque eiuſce generis capti ſunt, ſimiliaque prodidiſſe dicuntur.

Fuga capitum coniurationis.

Coſtę perditi hominis exitus.

Inter hos præfecti militum, atque arcium per regni oras nonnulli indicium mali latepatentis: in quoſdam aliorum ſcelerum reos animaduerſum: quod Maieſtatem præ ſe ferebat, Regis iudicio totum relictum. Cæterum nemini dubium, quia omni ope Dux Oſſunæ, vt ſuam confirmet, cauſam infirmare Borgiæ, & partium, omnemque

Quibus ſuam cauſam defendat Oſſunæ Dux, quibuſque argumẽtis ſuam tueatur Borgia.

ſuam noxam in æmulum retorquere conetur. Extat ipſius ad Regem epiſtola, qua contendit Præfecturæ, poſſeſſionem Cardinali iure non traditam; propterea quod neque idoneo in loco, neque per idoneos Miniſtros, vt plurimum, res peracta fuerit, noctuque deponere pontes arcium; atque introeuntes excipere, præter vnum Regem, illud eſſe Maieſtatis. Borgiani neceſſitate ſalutis publicæ ſe tuentur. Dux, vt ad propoſitum redeamus, ad exercitum progreſſus eſt, quem quidem in eadem epiſtola profitetur pro ſe ſtetiſſe, atque à mari, ſi voluiſſet, per myoparones Caſtrum nouum libratis tormentis ſe expugnare potuiſſe.

Indignatio Ducis Oſſunæ eiuſque effectus.

At ſatis conſtat, vbi omnia occupata nactus eſt, ipſum militibus edixiſse, vt nouo Proregi nouiter obtemperarent: Ira tamen, atque indignatione acrius vrgente, nulli machinationi pepercisse affirmant, validamque perditorum hominum manum in domum Regentis Vrſini, quò ſibi capite pœnas lueret, per tenebras immiſiſſe. Illi adorti, quamquàm firmam, irrumperunt, duos familiares pro foribus obſiſtentes interemerunt, Regentem minime repererunt. Idem alibi quoque tentatum caſſo euentu; tum adiecta militaris cuſtodia per plurimos dies. Borgia dum rebus omnibus caueret ſedulò, in arce ſe ſe continuit,

excu-

excubiaſque, prout in obſidione, agere militem iuſſit; mox edicto vulgauit, ne qua nauis e portu ſolueret ſe inconſulto, Ducique, creditoribus ita exigentibus, ſignificari mandauit, æs alienum quacumque de cauſa contractum pro ſua dignitate perſoluere ante abſceſſum ne cunctaretur.

Cæterùm hominem liberaliter habuit: Regia non exturbauit: cum parte prætorianorum, ſi libuiſſet, in publicum prodire indulſit: triremeſque ad abeundum ſe daturum ſpopondit. Poſtridie quam hæc acta ſunt, tabellarius adeo expectatus ex Hiſpania regreſſus eſt. Rex vſque ad Octobrim Menſem Duci Oſſunæ auctoritatem muneris producebat. Sero id actum, neque alius Duci fructus, quam dolor. Itaque paucis poſt diebus, relicta vxore pro ſoluenda fortaſſe pecunia, obſide Neapoli, exceſſit. Sex triremes exceperunt: Iis ipſe in ſpeciem, re arcano Borgiæ mandato, Octauius Aragonius nobilitate generis, ac rebus militiæ geſtis totius Regni facile Princeps præfectus eſt. Ita omnem Dux Oſſunæ Italici littoris oram celeriter prætervectus in Prouinciamque delatus ab Aragonio, & nauibus deſertus eſt. Ibi diutius ſubſedit, quem in regio conuentu exitum habitura res eſſet, ad capiendum pro re nata conſilium preſtolaturus. In ſpem adductus inde quoque

Borgiæ erga Oſſunæ Ducem vrbanitas.

Oſſunæ Dux Neapoli excedit relicta vxore.

In Prouinciam appellit.

que

que poſtea receſit, atque in Hiſpaniam lento itinere ſe recepit. Ex Hiſpania primo accepimus, quamquàm Borgiæ actio acerrime ab Oſſunianis oppugnaretur, nihilominus à melioribus adprobari; nihil tamen in quempiam ſeuerius ſtatuendum, & manſuetudo Regis, & patrocinia Virorum Principum pollicebantur. At deinde poſt quadrimeſtre imperium, Antonius Cardinalis Zappata, Borgiæ penè ex inopinato ſucceſſor eſt deſignatus.

Card. Zappata Borgiæ in Prętoria dignitate ſucceſſor.

Cum enim Legatum, qui cauſam cognoſceret, referretque Neapolim mittendum Rex cum conſilio decreuiſſet, qui clam Duci fauebant, nequaquam æquum eſſe contendebant, Borgiam ibidem interea cum Imperio eſſe, qui in contentione aduerſarium agebat. Neque abfuit à calumnia Zappata, qui cum primo Ducis inſtituta reprobaret, vt in ſpem potiundæ Præturæ adductus eſt, continuò pro Duce ſtetiſſe, à Borgiæ rationibus alienus fuiſſe memoratur. Is continuo in Italiam traiecit. Borgia ſpoliatus Imperio ęgrè id ſecum, ſed palam toleranter ferens Romam conceſſit. At Dux Oſſunæ tametſi Lelium Brancatium ab Senatu Neapolitano ad referendum de Republica miſſum oppugnatorem acerrimum in aula haberet, nihilominus tamquam nullius criminis inſimulatus; intereà liber Domi agebat, neque

Card. Zappatæ fama periclitatur.

Card. Borgia à Neapolitana pręfectura Romã contendit.

que à lætitia, luxuque abfuit, donec indulgentiſſimum Regem anno CIↃ IↃC XXI. Menſis Martius abſumpſit. Philippus Quartus liberorum vetuſtiſsimus excepit Imperium, adoleſcens illi quidem, ſed acris ingenij, excelſique animi, qui ipſo initio Principatus maximum heroicæ indolis ſpecimen dedit. Is principio aulæ Tyrannis exactis Regnorum adminiſtrationem ad meliorem formam redegit, in primiſque Offunę Ducem in carcerem detrudi mandauit. Maxima deinde contentione cauſa ipſius ęſt agitata adnitentibus pro Duce pleriſque, aliis aduerſantibus. Tandem in Regiam Vrbem translatus eſt, nec non vxore intercedente, mitiùs cum ipſo actum, & cuſtodia pauliſper laxata: Conſtanſque increbuit opinio in priſtinam illum libertatem, & Regum gratiam reſtitutum iri ſeu quia inſons, ſeu quia tempore vaneſcit inuidia.

Menſis & annus diſceſſus Regis Philippi Tertij, ſucceſſio Philippi Quarti, eiuſq; Laus.

Offunæ Dux in carcerem detruditur.

Atque hæc ſunt, quæ ad cautionem poſteritatis memoria non indigna Neapoli nuperrime contigere. Quæ quidem prout palam, & ore omnium, & multorum litteris tradita ſunt, ad fidem hiſtoriæ ſcripſimus, non ad inuidiam, neque enim illa molientibus cognitione nedum odio infenſi ſumus. Cumque aliquid præterire rem plurimum labefactare potuiſset, minima quæque perſequi coacti fuimus.

Cęte-

Cęterum in hocquoque genere ſcribendi ante hac à nobis illibatum, quid noſtrum poſsit ingenium, experiri voluimus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE